

*SPATIA VACUA, quæ supra illud sunt, complectitur. In his enim Christus dominari ibique novos mundos creare, novum cælum empyreum, nova beatorum habitacula, novas sedes & choros condere potest. O immense vacuum aulam, quæ immensa spatia vacua complectitur! Aulam rex sua præsentia, & majestate implet. Si, immensa spatia vacua, ad aulam Christi regis pertinent, ab eo implentur. Si implentur ab eo, vacua non sunt. Deus vero, cœli terræque Dominus, cœlum terramque implere, celebratur. Recte Augustinus lib. II. Civit. Dei c. 5. censuit, inanes esse hominum cogitationes, quibus infinita imaginantur loca, cum locus nullus sit præter mundum: etiam, inaniter homines cogitare præterita tempora vacationis Dei, cum nullum tempus sit ante mundum. Ipse Cornelius se difficultate quadam urgeri putat, quam ridicula responsione sibi tollere videtur. Nec obstat, ait, quod sic Christus in illis spatiis sit quasi in vacuo: tum quia Deus sua potentia facile efficit, ut ipse per vacuum videat, audiat, loquatur: tum quia verisimiliter exiguum illud spatium, in quo est Christus, quod ante vacuum erat, jam vacuum non est, sed æthere cœli empyrei, qui circum Christi corpus Dei nutu se fundit, &c. Hæc somniantis, non scripturam interpretantis, cogitata sunt. Quæ enim scriptura de immensis illis spatiis vacuis habet? Quæ scriptura sublimitatem Christi super omnes cœlos exaltati, loci altitudine determinat? Et quando Christus vel videre, vel audire, vel loqui vult per illud vacuum, in quo est, Deus id sua potentia efficere debet. Etiam cœli empyrei convexa superficies non æqualis erit amplius, æthere cœli empyrei circa corpus Christi fuso, & vacuum erit, ubi locus fuit, uti locus factus est, ubi fuit vacuum, vel Dei nutu, vel potentia, rarefacta vel extenuata erit illa pars cœli empyrei, vel quid aliud. Tutius abstinemus a persequendis his absurdis, cum arbitremur pias mentes, talia audientes, ut audita sunt, cum indignatione averfari. Scripsit Cornelius, in immensis illis spatiis vacuis dominari posse Christum, ibique novos mundos creare &c. Eo absurditatis pervenit, ut & dominari ibi dicat: est ibi Christus (supra omnia) ut impleat omnia: utque ipse totius universi Dominus & judex universo emineat, & super illud ETIAM in spatiis illis vacuis GLORIAM suam & DOMINIUM OSTENDAT. Quæso cui? an spatiis ipsis? at in spatiis dicitur ostendere. An sibi? ipse ergo sui Dominus est. An rebus in istis spatiis? at vacua illa sunt. Hoc*

Augustin.